



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. VI. De absolute excommunicati decedentis in excommunicatione.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

solet, cap. Venerabili 25. h. 3. Ad reincidentiam fit absolutio, quando quis propter impedimentum v. g. legitimum ab inferiore, qui alias absolvendi licentiam non habet, absolvitur quidem, cum eo tamen onere, ut cessante hoc impedimento temporali, se presentet superiori, cui talis absolutio reservata est, sub pena in eandem (moraliter) excommunicationem reincidenti, si se presentaturus non sit cap. eos qui 22. h. 1. in 6. ne detur occasio censuram Ecclesiasticam impunè contemnendi.

§. V.

*Verum is, qui duabus vel pluribus excommunicationibus ligatus est, si ab una absolvatur, censetur etiam absolutus ab aliis?*

Respondetur negativè, si ex pluribus diversis causis plures excommunicationes incurrit, & in petitione absolutionis, unius tantùm causæ meminit, tacendo alias, prout sumitur ex cap. clem pro causa 27. h. 1. & si à pluribus Prælati, quibus subiectus est, propter plures excessus excommunicatus fuit, non erit absolutus ab excommunicationibus suis v. g. si ab uno tantùm eorum Prælatorum absolvatur, sed ab aliis etiam absolvi debet, (nisi hi omnes unum eorum commissionem dedissent, suo etiam nomine absolvendi eum cap. officij. 42. h. 1. cum per hoc, quòd unum eorum propter delictum contra ipsum commissum satisfactum fuerit, non cen-

*Compend. Perhing.*

seatur etiam aliis propter delicta in ipsos commissa, satisfactum.

§. VI.

*De absolutione excommunicati decedentis in excommunicatione.*

Excommunicatum, quamvis multa signa pœnitentiæ ante mortem dederit, & coram Deo ab omnibus peccatis absolutus sit, coram Ecclesia tamen ligatum suâ adhuc censurâ posse manere etiam post mortem, clarè colligitur ex cap. à nobis 28. h. 1. & hinc prout ex ipso cap. hoc patet, post mortem etiam absolutio (saltem indirectè) à censuris potest illi dari, & debet, si de ipsius viventis pœnitentiâ per evidentia signa constiterit, ut Ecclesiæ scilicet suffragiis, & sepulturâ Ecclesiasticâ gaudeat; & hæredes illius satisfacere pro anima illius debent de jure Canonico, etiamsi nihil ex delicto ad eos pervenerit, cum enim vivens ille pœnituerit, & quantum in se fuerit, satisfecerit, aut satisfieri voluerit, consequenter voluntatem hanc exequi debent illi, ad quos bona defuncti hujus pervenerunt.

§. VII.

*Quando excommunicatus habendus sit pro absoluto ab excommunicatione, vel non?*

Ex hoc solo capite, quòd quis à suo Episcopo excommunicatus ad Romanam curiam accesserit, non debet haberi

00000

haberi